



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae, 1524**

**VD16 B 9232**

Argumentvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36165**

# IN EPISTOLA

LAM PAULI AD TITVM,

Ioannis Bugenhagij Pomerani  
Annotationes.

## ARGVMENTVM.



Ic episcopum, cui populus docendus est, instruit, ut in epistola ad Timotheũ, atq; interim insigniter per totam epistolam plenis uerbis cõmendat euangelij libertatem, quæ est in Christo Iesu domino nostro. Nec tacet, quos fructus euangelica fides producat in singulis hominibus erga proximũ, in quacũq; cõditione, siue statu huius uitæ.

## LOCI INSIGNIORES IN HAC EPISTOLA.

Primus, Gratiam euangelicã ab æterno promissam electis dei (id quod prædestinationis est) sed iam nouissimis temporibus esse manifestatam per Christum euangelij prædicatione, cap. 1. Inscriptio, cap. 2. Apparuit enim gratia, cap. 3. At postquàm bonitas, atq; hic locus est quoq; in Ephe. & alibi sæpe in Paulo. Secundus, Qualis sit doctor siue episcopus, & quæ doctrina eius. ut in superioribus epistolis ad Timotheum. Tertius, Insignis locus de sanitate fidei siue li-

ANNOT. IOANNIS POMERANI

bertate Christiana contra superstitiones & traditiones hominum auersantium ueritatem, qui dicunt se Christianos, & fiduciam quam deo debent, tribuunt operibus: factis ergo negant, qd' ore profitentur, cap. 1. quam ob causam. Quartus, Ut Christiani bonis operibus ad usus necessarios, & sobrietate uitæ ostendant fidem bonam, & ornent coram mundo doctrinā saluatoris nostri dei, ut pudeat aduersarius, nihil habens quod nobis iuste obijciat. Atq; hæc agit Paulus à principio 2. capituli usq; ad finē epistolæ. Quintus, Hereticum, id est contra uerbum ueritatis, siue ut uocat, consonam doctrinam docentem & sentientem excōmunicandum esse, per legem à Christo nobis prescriptam, Matth. 18. Si peccauerit, &c. In fine epistolæ sectarum authorem hominem, &c.

CAPVT I.

PAVLVS SERVVS DEI,  
apostolus autem Iesu Christi.

**N**Ota relinquentes: paucis uideamus, quid hæc ditissima huius epistolæ inscriptio habeat, quæ ita gratiam dei commendat, ut nobis uelit eā esse certissimam. Quid enim prodest multa de gratia audire, scribere, legere, si omnia adhuc dubitamus ad nos pertinere? Idcirco ait, quam deus qui non mentitur, promisit, qui ut non falli, ita nec fallere potest. Id quod